



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1100. Usque Ad Annum 1143

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1762**

**VD18 90117999**

§. 64. Henricus se Episcopatu Viridunensi abdicat.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66385](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66385)

Sæcul. XII. tione in Sacra ductam, sed Abaelardi vo-  
 A.C. 1129. luntate permotam, Monacham induisse.

## §. LXIV.

*Henricus se Episcopatu Virdunensi abdicat.*

*Hist. Episc. Vird. to. 12. Spicil. pag. 307.* **H**enricus Episcopus Virdunensis hanc Sedem adierat, sedente Papa Paschali II. Mathilde Regina, Regis Angliæ filia, Henrici V. Coniuge, faulrice adiutus; nam Præsul hic ex Gente Anglorum antea Archidiaconus Ecclesiæ Vintoniensis fuerat. Vix dum suscepto Episcopatu maximas sensit aduersitates, quamvis enim in Concilio Remensi anno millesimo centesimo decimo nono, a Callisto II. Papa fuisset confirmatus, non aliter tamen quam armis adhibitis, & societate cum Rainaldo ejusdem urbis Comite, omnibus inuiso, inita, Virdunum intrare licuit. Pace deinde reducta, Henricus Episcopus non sine Dignitatis suæ dedecore voluptatibus animum dedit, qua re denuo populi Clericorumque suorum animos sibi infestos reddidit. Ergo Clerici, nunciis Romam ad Callistum Papam missis, Episcopum incontinentiæ & Simonix accusarunt, & quod præterea Ecclesiæ Bona dilapidaret; nam aliquot agros Rainaldo Comiti in mercedem

dem præstiti sibi auxilii tradiderat. Lau Sæcul. XII.  
rentius quoque S. Vitoni Abbas non nul- A.C. 1129.  
la prædia Monasterio suo ablata repe-  
tebat.

Henricus, a Callisto Papa vocatus, ad  
Judicium non venit. Sed cum Clerici  
Virdunenses & Abbas S. Vitoni quere-  
las ad Honorium II. Papam iterum de-  
tulissent, ab eodem Pontifice bis Romam  
citatus, tandem illo se contulit; sed quia  
Cardinalium animos, data ingenti pecu-  
niæ vi, sibi devinxerat, causa finiri non  
potuit, eamque Papa in ipsa provincia a  
Cardinale Matthæo, suo in Francia Le-  
gato, discutiendam remisit. Itaque Car- *Alberic. Chr.*  
dinalis in hunc finem Concilium Cata- *an 1129. Do-*  
launi in Festo Purificationis Dominae No- *dechin. cod.*  
stræ, anno millesimo centesimo vigesimo  
nono, celebravit, cui Archiepiscopus Re-  
mensis, & complures alii Episcopi, Abba-  
tes, inter quos S. Bernardus eminebat,  
aliique viri sapientia & pietate conspicui  
interfuere. Episcopus Virdunensis quo-  
que, & ipsius Accusatores aderant. Cum-  
que ipse in re ardua S. Bernardum con-  
sulisset, ille memorem esse monuit, quam  
molesta & invidiosa res esset, homines  
regere velle, qui eum Rectorem respue-  
rent. Suasitque ut potius Episcopatu se  
abdicaret, quam periculum subiret, ne  
coram tantorum virorum frequentia pro-  
brose

Sæcul. XII. A.C. 1129. brose accusaretur. Henrico acquiescente, S. Bernardus pro ipso elocutus, publice dixit, Henricum, cum Clerici populusque de eo multa quererentur, præsertim illi ipsi, quos ipse ad Ecclesiasticas Dignitates præ ceteris promovisset, invitis præesse nolle, & libentissime concessurum, ut omnis scandali occasio tolleretur. Ita Henricus Episcopatu renuncians Pedum pastorale, anno decimo tertio, ex quo illud de manu Imperatoris acceperat, reddidit. Ut tamen solatio non careret, præcipui Præsules in Concilio præsentis, auctore Laurentio Abbate, decem marcas argenti contulerunt, quibus ejus debita apud cives illius urbis contracta, solverentur, & data pignora redimerentur. Illico per electionem Henrico subrogatus est Ursio, Abbas S. Dionysii Remis, qui Ecclesiam Virdu-nensem annos duos rexit.

